

**Horti Medici Acad. Altorf. historia curiose conquisita / autore Io. Iac. Baiero ... ; accedit eiusdem commemoratio celebriorum Germaniae Hortorum Botanico-Medicorum.**

**Contributors**

Baier, Johann Jakob, 1677-1735.

**Publication/Creation**

Altorfii : Typis Iod. Guil. Kohlesii Acad. Typogr, M DCCXXVII. [1727]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kqu5zhnr>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



J. J. # 62090/18

62090/18

MEDICAL SOCIETY  
OF LONDON



ACCESSION NUMBER


PRESS MARK

BAIER, J.J.



T9

HORTI MEDICI  
ACADEM. ALTORF.  
*Delinatio Nova.*





HORTI MEDICI  
ACAD. ALTORF.  
HISTORIA

CVRIOSE CONQVISA

*AVTORE*

IO. IAC. BAIERO

PHILOS. ET MED. DOCT.

ET PROFESSORE PRIMARIO

ILLIVSQ. HORTI PRAEFECTO.

*ACCEDIT*

EIVSDEM COMMÉMORATIO  
CELEBRIORVM GERMA-  
NIAE HORTORVM  
BOTANICO-MEDICORVM.

---

*ALTORFI A. R. S. MDCCXXVII.*

TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.



HORTI MEDICI

ACAD. ALTOR.

HISTORIA

CARLOSSE ONOVRITA

N. N. N. N.

I. O. JAC. BAIBRO

PHILOS. ET MED. DOCT.

ET PROFESSORE PRIMARIO

ILLVSD. HORTI PRAELECTO

EIVSDEM COMMÉMORATIO

CELEBRIORVM GERMA

NIAE HORTORVM

BOTANICO-MEDICORVM

ALTORI N. R. 2. cl. 1777  
TYPIS JOH. GALL. ROHRSCH. ACAD. ALTOR.

*PERILLVSTRIBVS, GENEROSISSIMIS  
PRVDENTISSIMISQVE DOMINIS*

**DN. CHRISTOPHORO FVRER** AB HAYMENDORF  
IN VVOLCKERSDORF, S. CAES. MAIEST. ACTVALI CONSILIARIO,  
EMINENTISS. ELECTORIS MOGVNTINI ALIORVMQVE SERENISS. S. R. I.  
PRINCIPVM CONSILIARIO INTIMO, INCLYTAE ET LIBERAE S. R. I.  
REIP. NORIMBERGENSIS DVVMVIRO PRIMARIO, CASTRI IMPERIALIS  
PRAETORI, NEC NON XENODOCHII AD SPIR. S. COENOBIIQVE AD  
D. CATHAR. PRAEFECTO SVMMO.

**DN. GVSTAVO GEORGIO TEZEL** A KIRCHENSITTEN-  
BACH IN VORRA ET ARTELSHOFEN, S. CAES. MAIEST. ACTVALI  
CONSILIARIO, INCLYTAE ET LIBERAE S. R. I. REIP. NORIMBERG.  
DVVMVIRO, VTRIVSQVE MONASTERII D. CLARAE ET PILLENREVT  
PRAEFECTO SVMMO.

**DN. GEORGIO CHRISTOPHORO KRESS** A KRES-  
SENSTEIN IN KRAFFTSHOF ET RETZELSDORF, S. CAES. MAIEST.  
ACTVALI CONSILIARIO, INCLYTAE ET LIBERAE S. R. I. REIP. NO-  
RIMBERG. TRIVMVIRO, RERVMQVE PROVINCIALIVM PRAEFECTO  
PRIMARIO.

**DN. IOANNI CHRISTOPHORO DE IMHOF**  
IN MERLACH ET STEPHANSMVHLEN, EMINENTISS. ELECTORIS MO-  
GVNTINI ET EPISCOPI BAMBERGENSIS ITEMQ. SERENISS. PRINCIPIS  
MAGN. DVC. HETRVR. CONSILIARIO INTIMO, INCLYTAE AC LIBERAE  
S. R. I. REIP. NORIMBERG. SEPTEMVIRO, CVRIAE TVTELARIS ET CAN-  
CELLAR. PRAESIDI, ECCLESIVM EPHORO, ACADEMIAE ALTORF.  
ET SCHOLARVM NORIMBERG. CVRATORI PRIMARIO, NEC NON XE-  
NODOCHIO D. MARTHAE PRAEFECTO.

**DN. CAROLO BENEDICTO GEVDER** AB ET IN HE-  
ROLDSDORF, STEIN ET VNTERSDORF, LAVDATISS. REIP. PATRIAE  
SEPTEMVIRO, REI MILITARIS PRIMARIO ITEMQVE ORPHANOTRO-  
PHEI PRAEFECTO.

DN. CHRISTOPHORO GOTTLIEB VOLC-  
KAMER A KIRCHENSITTENBACH, SEPTEMVIRO  
ET AEDILI.

DN. IOANNI SIGISMUNDO PFINZING  
AB ET IN HENFENFELD, SEPTEMVIRO, AC RERVM PROVINCIALIVM  
PRAEFECTO, NEC NON PFINZINGIANAE AD PIAS CAUSAS DONA-  
TIONIS ADMINISTRATORI.

DN. HIERONYMO GVILIELMO EBNER  
AB ESCHENBACH IN ERLASTEGEN ET GVTTENBURG, SENATORI  
CONSVLARI ET CANCELLARIAE PRAEFECTO, NEC NON ACADEMIAE  
ALTORF. CVRATORI ET SCHOLARCHAE, COLLEGII ITEM MEDICI  
NORIMB. AC GERONTOTROPHII MENTELIANI PRAEFECTO.

DN. IACOBO SIGISMUNDO PFINZING  
AB HENFENFELD, SENATORI CONSVLARI, ACADEMIAE ALTORF.  
CVRATORI ET SCHOLARCHAE, NEC NON GERONTOTROPHII LAN-  
DAVERIANI PRAEFECTO.

DN. IOANNI HIERONYMO LOEFFELHOLZ  
A KOLBERG IN GIBIZENHOF, SENATORI CONSVLARI, ACADEMIAE  
ALTORF. CVRATORI ET SCHOLARCHAE.

PATRIBVS PROCERIBVSQVE PATRIAE  
MERITORVM MAGNITVDINE GRAVISSIMIS,  
*DOMINIS AC MAECENATIBVS MEIS GRATIOSISSIMIS*  
*DEMISSO ANIMI CVLTV ET OBSEQVIO VENERANDIS*

S.

PER-

PERILLVSTRES, GENEROSISSIMI, PRV-  
DENTISSIMI QVE DOMINI,  
PATRES PROCERESQVE PATRIAE AC MAECE-  
NATES GRATIOSISSIMI.



Vbens equidem agnoso, leuidense mu-  
nusculum, quod VOBIS, DOMINI,  
offerre iam sustineo, uix dignum esse,  
cui splendidissima inscriberentur NO-  
MINA VESTRA, utpote quod hu-  
mitem ac uulgo parum aestimatam  
materiam, rem scilicet hortensem, tractat: Quod-  
si tamen considero, quanta benignitate plerique VE-  
STRVM, qui partim antehac *Musarum Altorfinarum*  
*tutela* gloriose functi estis, partim adhuc fungimini,  
*Floram quoque nostram* eiusque commoda respexerint,  
ad unum autem omnes eidem prolixè faueatis, spem  
firmam concipio, fore, ut displicitura neutiquam VOBIS  
sit illius, quam nunc exhibeo, historia. Incitauit me  
exemplo suo b. D. *Maur. Hoffmannus*, qui Florae Altor-  
finae delicias suas, hortenses pariter ac siluestres, non  
dubitauit dedicare ANTECESSORIBVS VESTRIS, in eo-  
dem munerum ordinumque fastigio constitutis, gra-  
tiose admodum ab ipsis acceptas. Patiamini igitur,

MAECENATES OPTIMI, ut VESTRO sub praesidio in  
publicum procedat hoc tenue opusculum, quod post  
Diuinam prouidentiam, VESTRAS inprimis et MAIO-  
RVM VESTRORVM benignissimas curas, in alterum  
iam seculum *Florae nostrae* adhibitas, pio sane zelo  
depraedicat. Fieri autem non poterit, quin hac etiam  
ratione particula quaedam meritissimarum laudum  
VESTRARVM per orbem literatum longius exitura sit.  
Ego uero, si quidem uires uoluntati responderent,  
*Florae* nomine, tot meritis VESTRIS trophaea grato  
animo statuerem, quot arbores idoneas alit hortus ille,  
cui VESTRIS auspiciis in tertium iam lustrum praesideo.  
DEVS VOS seruet, DOMINI ET MAECENATES GRA-  
TIOSI. Dab. ex aedibus Collegii Academici, III Ka-  
lend. Mai. A. R. S. cl̄o l̄o c̄c̄ x̄x̄v̄ii.

PERILLVSTRIVM AC GENEROSISSIMORVM  
NOMINVM VESTRORVM

*cultor obseruantissimus*

Io. Iac. Baierus.

LECTO-



LECTORI BENEVOLO  
S.



*Vae caussae me impulerint, ut prae-  
sens opusculum congererem typis-  
que excudendum traderem, malo  
equidem, ut ex eiusdem lectione po-  
tius, quam ex hac praefatione in-  
telligas. Est tamen nonnihil, quod  
praemonendum Tibique excusan-  
dum arbitror: Nimirum, quod historiae horti nostri  
nullum addiderim indicem plantarum, quae hodie in  
illo nascuntur, et propagantur; quum ab ultima Hoff-*

manniani Catalogi, eiusque appendicum editione, haud exigua, sine dubio, stirpium facta sit accessio, cuius utique requiri uidebatur aliquis elenchus. Talem uero seorsim iam exhibere tanto minus opportunum reputavi, quanto magis praevidi, necessariam fore integri nouique plantarum indicis compositionem, posteaquam priorum exemplarium magna penuria esse coepit. Hanc equidem supplere haecenus quodammodo potuit Flora Norimbergensis Volckameriana, permanente nihilominus desiderio, renouati et auctioris catalogi, ex quo studiosi rei herbariae proprium Florae nostrae apparatus cognoscere, ac sibi familiarem reddere possent. Huiusmodi sane quam utilis nec perperam desiderati plantarum nostratium indicis elaborationem haud nuper meditatus, DEO que uitam mihi et sanitatem largiente effecturus aliquando sum, in unum redigendo ordinem ac uolumen, tam sponte sua crescentes apud nos, quam peregrinas cultasque in horto stirpes, quarum nomina, in diuersis tribus aut quatuor catalogis non citra molestiam haecenus euolui debuerunt. Et de syluestrium quidem plantarum conquisitione hoc minus laborandum mihi erit, quod uix ulla species industriam

*dustriam et oculatas manus b. Mauriti* Hoffmanni potuerit effugere, quin in deliciis Florae suae syluestris non annotauerit; ut iste catalogus, siue copiam, siue accuratationem consideres, paucos habeat pares, nedum praestantiores, idem agnoscentibus Botanicis egregiis, Jo. Raio, et G. Ch. Schelhammero, quorum testimonia hanc in rem infra exposui. Maior autem fortasse, tum emendandi, tum locupletandi necessitas emerget, circa peregrinarum recognitionem, non solum quoad amplificationem numeri, uerum et delectum nominum atque synonymorum, quem in deliciis hortensibus Florae Altorfinae haud immerito passim desideraueris. Facile tamen praesagit animus, occupationes non modo ordinarias, uerum etiam quae praeter has saepe subito incidere solent, moram aliquam interposituras negotio persiciendo. Interea praefari haec uolui, ut de bona intentione mea, secundum istam muneris partem inseruendi studiosae iuuentuti, aliquo modo constaret. Ceterum sicuti ex plerisque scriptis, in hunc fasciculum collectis, haud difficulter apparet, quod praecipuam occasionem dederit incun-  
da recordatio traducti feliciter PRIMI SECVLI a



*suis initiis, HORTI NOSTRI, ita non ingratum fore L. B. spero, si paucis hic edisseram, qua ratione, et quibus ceremoniis SECVLARE FESTVM illud a nobis celebratum fuerit. Cum nempe primum constituissem edere publicum aliquod signum gaudii, ex recollectione illa concepti, propositum hoc nostrae Philia-  
trorum Societati, eum praecipue in finem aperui, ut conferrent modicum pecuniae, ad sumptus in festiuitatem faciendos. Huic rogationi ut illi annuerunt lubenter, approbantibus etiam aliis quibusdam honestis Viris, decreta est panegyris in XVII. Cal. Iun. anni praeteriti. Affixo pridie ad publicam tabulam, de hortis Germaniae Botanico-Medicis celebrioribus Programmata, et facta decenter inuitatione, comparuerunt Magnificus Academiae Rector, et singulorum Ordinum Spectabiles Decani, omnes induti nouis splendidisque togis suis, Professores item reliqui Excellentissimi, uix unico desiderato, priuati denique Doctores et Magistri, ac ciues Academiae complures. Ab auditorio Theologico mox itum est in Welserianum, nouis nitidisque peristromatibus et aulaeis eleganter exornatum. Ibi multitudo, concentu  
tympha-*

tympanorum atque tubarum excepta, suis quique sedi-  
bus locati, priorem Odae, congruenter compositae par-  
tem, a Symphonicis recitatam, hinc Orationem de  
Origine, Progressu et fatis Horti Med. Acad. Altorf.  
attente et humaniter audiuerunt. Deinceps altera  
Carminis parte, itidem decantata, congratulationibus  
mutuisque salutationibus rite peractis, domum quisque  
suam reuersus est. Ad meridiem institutum fuit in ipso  
horti Med. hibernaculo, ad id conuenienter praepara-  
to, frugale conuiuium, cui Rector Magnificus et Pro-  
fessores quidam, comiter inuitati, praesentes adesse,  
et hilaritatis Botanicae participes fieri non dedignati  
sunt; excitatis ad licitam laetitiam, per instrumenta  
musica non minus quam sermones (ut par erat) huma-  
nos iucundosque, cunctorum animis; producto sic pa-  
cate et hilariter in seram noctem symposio. Habes iam,  
LECTOR BENEVOLE, totam festiuitatis, quam nos  
tunc peregimus fabulam, ex qua hoc saltem, pro boni-  
tate Tua, colliges, nos, uti ceterorum, huic Almae stu-  
diorum Matri diuinitus exhibitorum beneficiorum, sic  
illius seorsim, quod ad HORTI, tot bonarum mentium  
eruditioni et recreationi, ab integro iam seculo commo-  
dantis,

dantis, felicem CONSERVATIONEM attinet, noluisse  
immemores esse. Antequam T E dimittam, LECTOR  
BENEVOLE, admonitum uelim erroris in program-  
mate pag. 7. commissi, dum falsa cuiusdam narratio-  
ne inductus retuli, hortum medicum Acad. Helme-  
stad. liberalitate D. Gackenholz comparatum esse: Ex  
huius enim celeb. Viri Botanico progymnasmate Anno  
1706 edito (in quod sero, sane fortuitu incidi) pla-  
ne constat, a Serenissimorum istius Academiae Nu-  
tritorum munificentia impetratum esse fundum hor-  
to idoneum: De Gackenholzianis autem aedibus puto  
me nihil a uero alienum enarrasse. Dabis itaque isti er-  
rori ueniam, et amplius probabis humanitatem Tuam,  
correctione mendorum typographicorum, si quae for-  
san deprehenderis; cuiusmodi sunt pag. 27. lin. 19.  
differentia, leg. differentiae, pag. 31. lin. 4. optimum,  
leg. opimum. Bene Vale!



I.

DE

HORTIS GERMANIAE BOTANICO-MEDICIS  
CELEBRIORIBVS  
PROLVSIO

QVA

HORTI ACADEM. ALTORF.  
PRIMUM SAECVLARE  
FESTVM

ORATIONE SOLENNI  
CELEBRANDVM  
SIGNIFICAT

IO. IAC. BAIERVS D.  
ET PROFESSOR MED. PRIMARIVS  
ILLIVSQUE HORTI PRAEFECTVS.



**F**A semper fuit HORTORVM, in hunc usque diem, apud omnes bene moratas gentes existimatio, quam nemo argumentis idoneis augere aut minuere facile sustinuerit. Quare nec ego ausim, post tot praeclara tot autorum opera, *de re hortensi*, quicquam in commendationem eius afferre, qui hoc unice nunc ago, ut GERMANIAE saltem, patriae nostrae, HORTORVM, *medicatis stirpibus propagandis dicatorum*, perbreuem commemorationem instituum. Neque uero istorum omnium rationem in praesenti habebō, sed eos duntaxat indicabo, *qui prae multis aliis famam adepti, publicisque litterarum monumentis celebrati sunt*. Qua quidem recensione hoc inprimis edocere conabor, ut appareat, quomodo in ista etiam parte utilium mortalibus scientiarum, neutiquam defuerit *Germanorum benefica industria*. Vnde uero iustius incipiam dicere, quam de summis S. R. I. MODERATORIBVS, AVSTRIACAE DOMVS, ad populorum salutem diuinitus datae et conservatae, *maximis Heroibus*? Horum ex ordine FRIDERICVS III.

teste

teste *Io. Cuspiniano*, (a) hortulis plurimum oblectatus fuit, herbarumque cognitionem summam habuit, ut medicos suae aetatis facile superaret omnes in fruticum notitia; quam eruditionem sine dubio non tam e librorum lectione, quam curiosa obseruatione et *διουρσία* stirpium consecutus fuit optimus Imperator, *Octauii Augusti Caesaris* exemplo forsitan incitatus, quem memorant historici, *crebro diuertisse ad hortos Maecenatis elegantissimos*. Illius autem abnepos dignissimus, et ipse *Caesar Aug. MAXIMILIANVS II*, magnis sumptibus e diuersis terrarum orbis regionibus rarissima et selectissima simplicia conquirere, et *hortum* de consilio praecipui tunc botanici, *Caroli Clusii*, instruere iussit (b). Quod Diui Parentis sui laudatissimum institutum filius et successor in Imperio, *RVDOLPHVS II*, diligenter tenuisse ac perfecisse apparet, fidem faciente inprimis *Emanuele Schwertio*, Belga, qui splendidum amplissimumque florilegium suum auctoritati et munificentiae tanti *Caesaris* deberi gratus ipsemet profitetur (c). Taceo, quod et *Clusius* et *Dodonaeus* haud exiguam plantarum rariorum in suis historiis recensitarum, partem *hortis Caesareis* acceptam referant. Maximorum illorum *Imperatorum* exempla secuti complures *S. R. I. Proceres*, neutiquam indignum maiestate sua existimarunt, interdum demittere se ad iucundissimum rei herbariae studium, huiusque causa *hortos* adornare, quouis plantarum genere refertos, ut non solum sibimet ipsis compararent peramoena spectacula, sed et ut medici ac subditi

A 2

eorum

(a) in vita *FRIDERICI III. Conf. Hadr. Spigellii* praef. Isag. in rem herbariam.

(b) *Ioach. Camerar.* in praefat. horti Med. fol. 4.

(c) in dedicatione istius florilegii A. clo loc XII. editi.

eorum haberent, quod curiose scrutarentur, et in usum ualetudinis humanae conuerterent. Huiusmodi hortos, ante centum et plures iam annos aluisse constat, *Serenissimos Landgrauios Hassiae*, VVILHELMVM et PHILIPPVM, quorum ille *Ioachimum Camerarium*, Norib. Med. primarium (d), hic *Ludouicum Iungermannum* nostrum (e), dignos praedicatores inuenerunt. Vix autem quisquam inter *Proceres Germaniae* maiorem magisque perennem gloriam acquisiuit *horto* liberaliter instructo, quam *Reuerendissimus* olim *Princeps Episcopus Eystettensis*, CONRADVS A GEMMINGEN, qui minime contentus amplissimo ac pretioso stirpium omnis generis, praesertim exoticarum, apparatu, eundem multis impensis, per imagines aere perquam eleganter expressas, opere splendidissimo, et plane incomparabili (f), perpetuis φιλοβοτάνων utilitatibus accommodauit, eoque ipso immortalem se hortumque suum reddidit. Esset in procliui enumerare plures *Germanorum Principum hortos* celebres, nisi uererer, quod obiici mihi posset, eiusmodi *Magnatum uiridaria* non tam ad *stirpium, medicis uirtutibus pollentium*, propagationem, quam ad delicias et pompam pertinere, uti sane in confesso est, tot artificiose composita ambulacra, tot mirifice salientes, aut ab alto decidentes cum strepitu aquas, siue cataractas, uaria denique et inprimis aedificiorum et statuarum ornamenta, uoluptati potius, quam ualetudini mortalium inservire: Quatenus tamen simul etiam *medicinales*,  
ipfas-

(d) l. c. fol. 5.

(e) in praef. catal. Plant. hort. Med. Altorf.

(f) quod prodiit primum Norimbergae A. cIo Io c xii. charta augusta, recusum A. XL. et nuper iterum Eystadii, citra notabilem (quod sane dolendum) emendationem, nedum accessionem.

ipfasque rariores, *plantas* insigni numero sustentant iidem *horti*, a commentatione praesenti penitus excludi non debent. Hoc igitur nomine non possum non laudare HORTVM HESSENSEM, auspiciis *inclyti Brunsvic. et Luneburg. Ducis*, HENRICI IVLII, extractum, multisque ac raris stirpibus exornatum, quarum nomenclatorem exhibuit, ac totius horti descriptionem dedit ipse hortulanus, *Io. Royerus* (g). ELECTORALEM BRANDENBURGICAM, iisdem hortensibus diuitiis abundantem *Floram* concelebrarunt *Potentissimorum illius Domus Heroum* medici, *Io. Sigism. Elsholtius* (h), ac *Thomas Pancovius* (i), uterque suis orbi litterario sat cognitis operibus. Omitto plura ejusdem dignitatis *botanica Procerum Germaniae specimina*, et progredior ad HOMINVM PRIVATORVM *nationis nostrae luculenta in rem medico-hortensem merita*, pari breuitate percensenda; quamuis etiam ex his non nisi perpauca exempla strictim attingere nunc liceat. Neminem uero sine iniuria antetulerim CONRADO GESNERO, ad prouehendam rem herbariam, sicut ad uniuersam naturalem historiam, nato plane uiro, qui non solum ipse, pro mediocri admodum statu facultatum suarum, *duos hortos Tiguri coluit*, uerum etiam singulari tractatu aliorum suo tempore *celebrium per Germaniam hortorum* designationem tradidit, pluresque nominatim indicauit (l). Amicus intimus *Gesneri* fuit IOACH. CAMERARIUS ille, quem supra nominaui, qui et ipse per multos annos *hortum suburbanum Noribergae* magna diligentia excoluit, et

A 3

tam

(g) curis secundis, Brunsvigae, A. MDLXLI. in 4. cum fig. aen.

(h) in Flora Marchica, et Horticultura,

(i) in praef. herbarii sui.

(l) in append. ad *Valer. Cordi* Annotat. in *Dioscoridem*.



tam inquilinis quam exoticis plantis rarioribus auctiorem reddidit, eiusdemque luculentam descriptionem divulgavit (m), tanto quidem apparatu, ut nullus eo tempore *hortus medicus* comparari cum eo queat. Ipsum uero decus illud, iniquitate temporis pridem deletum, instar phoenicis, post integrum quasi seculum instauroit, quin et multo clarius splendidiusque reduxit ὁ Βοτανικώτατος D. VOLCKAMERVS noster, testificante hoc satis *Flora eius Norimbergensi* locupletissima (n). Caeterum *Vratislaviae* circa idem tempus, quo Camerarianus floruit, hortum quoque coluit rarioribus plantis confitum, et carmine celebrauit LAVRENTIVS SCHOLZIVS a *Rosenau*, adiuncto catalogo botanico (o). *Rostochii* suis pariter sumptibus hortum instruxit PETRVS LAVREMBERGIVS, quem ipse iniuria belli uastatum deplorauit in praefatione *horticulturae suae*. Taceo plures alios a uariis medicis *priuatim adornatos ejusmodi hortos*, nempe IO. OBERNDORFFERI, qui olim *Ratisbonae* uiguit (p), tum etiam ARNOLDI GILLENII Medici Cassellani hortum in octo classes divisum (q), et illos inprimis antiquiores, quos l. c. *Gesnerus* recensuit. Nostra autem memoria tres insignes in *Academia Helmeftadiensi* Medicinae Professores, successione quadam, *domesticos sibi hortos* instruxerunt, ut in defectu publici consulerent botanophilorum eruditioni. Fuerunt illi nominatim

GVN-

(m) titulo Horti Medici et Philosophici, Francof. ad Moen. A. c1010 LXXXVIII. in 4.

(n) primo huius seculi anno edita.

(o) A. c1010 LXXXVII. in 4.

(p) cuius descriptio edita est Ratisbonae A. c1010 CXXI. in 8.

(q) edito catalogo A. c1010 CXXXII. in 4.

GVNTHERVVS CHRISTOPH. SCHELHAMMERVS (r), IO. ANDR. STISSERVVS (s), A. C. GAKENHOLZ, qui postremus, laude dignissimo liberalitatis exemplo, suum hortum *ad usus publicos*, aedesque suas botanico Profefori habitandas legavit, ut bono huic uiro acceptum referat *alma Iulia*, quod tandem gaudere potuerit publico Florae domicilio. Et sane manifestum est, uix ullos *hortos* utilius inferuire cognitioni stirpium, quam *qui coluntur in Academiis*. De his enim, ob frequentem studiosorum concursum, et idoneorum Doctorem praesentiam, praesumere licebit optimam in re herbaria proficiendi commoditatem, dummodo non deficiat Magistratum munificentia; qua quidem largissime fruuntur *Italorum, Gallorum, Belgarum horti Academici*, ut propterea nostram concitare possint inuidiam, nisi ab hoc uitio natura essemus alieniores. Essemus autem in nosmetipsos injuriosi, nisi agnoscere vellemus, quam minime careat *Germania* HORTIS ACADEMICIS. Et LIPSAE quidem iam inde a sesquiseculo talismodi honor *Florae* fuit habitus, operam ei nauantibus in ordine Praefectis clarissimis, quorum aetate postremi, at meritis primi fuerunt *Leon. Vrsinus*, Norimbergensis, *Paulus Ammannus* (t), *Aug. Quir. Riuius*. GIESSENSIS Florae Sator et

(r) teste catalogo hortuli sui domestici, A. MDCLXXXIII. in 4.

(s) vid. Horti Med. Helmestad. catalogus, A. MDCLXCIX. in 8.

(t) cuius supellex botanica, seu enumeratio Plantarum, quae in Horto Medico Acad. Lipsf. et aliis circa urbem locis progeminare solent, prodiit Lipsiae A. MDCLXXVII. in 8.

tor et Educator extitit *Ludovicus Iungermannus*, deinde noster factus, qui cum illam, quasi modo genitam suam filiam, turbato bello Academia, deferere (u) coactus esset, exoptatum FLORAE NOSTRAE conditorem se praebuit, cujus beneficii & auspicatorum progressuum, grata mente recolendorum causa, praesentem potissimum suscepi narrationem. Ceterum inter reliquas *Germaniae Academias*, quibus ab illo tempore *horti medici* apparatu prospectum fuit, nulli secunda est IENENSIS, patria mea dulcissima, primam hortensis Florae curam gerente incomparabili *Rolfincio*, qui successores habuit neutiquam indignos, ab ipsomet laudatos partim Lib. II. de Vegetabilibus (x). Obscuriorem paulo VVITTEBERGENSIS Florae originem et progressum luculenta instauratione, et noui prouentus iterata designatione haud ita pridem expiauit celeberrimus *D. Io. Henricus Heucherus* (y). Taceo ARGENTINENSEM hortum botanicum, ante plura iam lustra (z) edito catalogo celebratum ab insigni medico Professore *Marco Mappo*. HERBIPOLENSEM uero nuper adolescentem *Floram* eo minus praetermittere possum silentio, quo maiora de se ipsa promittit,

(u) relicto cornucopiae Florae Giessensis, spontaneorum prouentu stirpium cum Flora Altorfiensi amice et amoene conspirantis, edito A. c1010 cxxiv.

(x) confer. *Io. Theod. Schenckii* epistolam de studii botanici Ienensis initio, progressu et Statu, praemissam Catalogo Plant. Horti Med. Ienensis, A. c1010 clix. in 12.

(y) Ann. huius Seculi XI. et XIII.

(z) Anno scilicet c1010 cxci. in 12.

promittit, et quo faciliorem nostra sensit haecenus in communicandis rariorum plantarum seminibus, liberali manu Excellentissimi Praefecti sui *D. Beringeri*. Ad illius exemplum fortasse propediem caput extollet *INGOLSTADIENSIS Flora*, curante gratioso ibidem Medicorum Collegio, nobisque inprimis amicissimo *D. Moraschio*, Professore primario: Ac prodiit iam in publicum Sciagraphia splendida, secundum quam ubi hortus reapse perfectus comparuerit, multis aliis anteferri merebitur. Optandum interea est, ut *reliquis etiam Germaniae Academiis* eadem obtingat felicitas impetrandi atque exornandi *hortos medicos*, aut quos forte quondam possederunt, recuperandi et instaurandi (*aa*), ne studiofa rei herbariae iuventus necesse habeat sumptuosas illius causa peregrinationes suscipere, sed passim in suae *patriae uiridariis*, excultas cumulate intueri et cognitae sibi reddere queat, *medicinae praesertim utiles plantas*. Ego uero nunc, mearum rerum satagens, ad hoc negotium declarandum festino, quod occasionem dedit productae haecenus praefationi. Nempe in animum induxi, cum *HORTVS NOSTER ACADEMICVS*, hoc anno, *PRIMUM* ab origine *SECVLVM*, integra fortuna et fama compleuerit, huius felicitatis et eiusdem aucto-

B rum

---

(*aa*) quod votum fortasse competit seorsim in *Academiam Heidelbergensem*, cuius *horti neophyti* A. c l o l o c l x x x v i i . designationem aliquam exhibuit *Georg. Francus*, in *Programmate*, *Amburualia Heidelbergensia* inscripto, *Florae suae Francicae* editioni tertiae annexo.

rum solemnem quampiam recordationem habere, et monumentum aliquod statuere, quod B. C. D. praestare conabor *die castino Iouis*, ORATIVNCVLA publice recitanda, qua *historiam et fata hortensis Florae nostrae*, quantum fieri poterit, perspicue breuiterque expositurus sum. Ad illam igitur, hora ante meridiem IX. in auditorio Welsariano, benevole audientiam

MAGNIFICVM ACADEMIAE DN. RECTOREM,

GENEROSISSIMVM OPPIDI AGRIQUE ALTORFINI DN. PRAEFECTVM,

EXCELLENTISSIMOS CELEBERRIMOSQUE OMNIVM FACVLTATVM DNN. PROFESSORES,

RELIQVOS ITEM CIVES ACADEMICOS GENERE VIRTVTIBVS ET DOCTRINA FLORENTISSIMOS,

ea, qua par est, obseruantia ac humanitate inuito.

P. P. D. XV. MAII A. R. S. c1515ccxxvi.

ORA-

II.

# ORATIO

DE

ORIGINE PROGRESSV ET FATIS

# HORTI MEDICI ACADEM. ALTORF.

HABITA

IN SOLENNI PANEGYRI

A

IO. IACOBO BAIERO.

---

xvii. Kal. Iun. A. S. R. c1o1o cc xxvi.



MAGNIFICE VNIVERSITATIS RECTOR,  
 GENEROSISSIME OPPIDI AGRIQUE AL-  
 TORFINI PRAEFECTE,  
 EXCELLENTISSIMI CELEBERRIMIQUE  
 OMNIUM FACVLTVM PROFESSORES,  
 TVQVE, HOSPITVM CIVIVMQVE ACADE-  
 MICORVM ORNATISSIMA CORONA,  
 AVDITORES OMNIUM ORDINVM HONORA-  
 TISSIMI!

**I**Nter ea, quae mihi propitia fortuna  
 euenisse recordor, haud infimum  
 reputo, quod in id Academiae tem-  
 pus inciderim, quo ante triennium  
 hocce primis illius *sacris secularibus* non solum  
 interesse, verum etiam, *Rectoris* munere tunc  
 fungens,

fungens, quodammodo praeesse potuerim. Quid-  
 ni enim mihi liceat gaudere tam benigno fato,  
 cui simile in praecipua parte felicitatis suae olim  
 posuit (\*) *Christophorus Neander*, in Academia  
 Viadrina Professor Philosophiae clarissimus? Ni-  
 mirum ita semper existimaui, ea prae caeteris  
 magnificienda esse commoda, quae tametsi ad  
 publicum commune spectent potissimum, attamen  
 priuatam boni viri delectationem et usuram  
 non excludant. Caeterum ista communis Aca-  
 demicae solennitatis praeteritae recordatio, ac  
 veluti ruminatio, alium in me appetitum exci-  
 tauit, ut *consummato iam uno a primordiis HORTI*  
*nostri MEDICI seculo*, qualemcunque huius cele-  
 brationem publicam instituerem. Licet enim  
 priuatum aliquod negotium moliri forte videar,  
 Vestram tamen, PATRES atque CIVES, obtestor  
 fidem, numnam priuata dici debeat laetitia, quae  
 ex alicuius rei ad utilitatem hominum complu-  
 rium pertinentis aequa aestimatione nascitur?  
 Atqui *hortus noster* publicus est, publica eius  
 commoditas, publicum denique oblectamen-  
 tum. Et quamuis *Medicae Artis Studiosorum* in  
 B 3 gratiam

(\*) Vid. I. C. *Becmanni* notit. Vniuersit. Francofurt. p. 261.



gratiam praecipue instructus ille sit, paucos tamen vestrum, AUDITORES optimi, fore arbitrator, qui non utilitatem quamquam, aut certe uoluptatem inde se interdum percepisse ultro confiteantur. Quare nemo mihi uertat uitio, quod gaudium, ex illius incolumitate adhuc stabili enatum, non modo publice declarare, sed et alios eiusdem participes facere adnitar. Et de uestro quidem A. O. O. H. beneuolo consensu tanto minus ambigere possum, quanto magis de hoc mihi persuadet honorifica praesentia uestra et frequens numerus. Ego uero haud exigua sollicitudine sum affectus, quando mecum ipse cogitavi, quam ratione possem efficere, ut Vos accessisse huc, et me differentem audiuisse non poeniteret? Conclufi tandem, minime ingratum Vobis, nec a praesenti panegyri alienum fore, si plane quidem simplicibus uerbis *uniuersam horti nostri Academici historiam* adumbrarem, et hac recensione amplius excitarem animos uestros, ut decernatis, operae pretium me facere, dum istud communis commodi specimen solenni quodam modo depraedicare gestio. Etenim, *Seneca* (\*) dictante,

---

(\*) Lib. III. de benef.

dictante, *nullum beneficium est tam angustum, quod non extendat bonus interpret.*

Quamdiu *Palaeocome* nostra Gymnasii saltem titulum nomenque gessit, fortasse parum de *horto publico* hic instruendo laboratum fuit; tamen antiqua *Medicae Facultatis* statuta herbarum quoque cognitionem inter exercitationes Professorum retulerint. Verosimile autem est, sylvestrium duntaxat et sponte sua nascentium plantarum (cuiusmodi quidem abundat ager *Altorf- finus*) habitam tunc rationem, atque adeo non minus imperfectum quam difficile studium illud fuisse. Et quamvis ineunte iam seculo decimo septimo *LVDOVICVS IVNGERMANNVS*, rei herbariae peritissimus, cum aliquandiu hic studiorum causa commoraretur, stirpium quae crescunt in uicinia nostra indicem conscripserit, post annos aliquot (\*) a *CASPARO HOFFMANNO* editum, neque sic tamen satisfactum erat Botanicis, exoticarum quoque plantarum culturam copiamque requirentibus. Quare is, quem modo nominaui, incomparabilis Vir, *CASPAR HOFFMANNVS*, eiusdemque Collega *GEORGIVS NOESLE-*

(\*) A. 1695. in 4.

NOESLERVS omnem moverunt lapidem, ut ab ILLVSTRIBVS ACADEMIAE CVRATORIBVS impetrarent desiderati tamdiu horti medici accessionem. Haec facta demum est, posteaquam laudatus I V N G E R M A N N V S ad Botanicam Anatomicamque Professionem euocatus, opportune aduenit sub finem anni vigesimi quinti superioris seculi. Is igitur proxime subsecuti veris tempore, felicibus auspiciis, *hortum nostrum* excolere primus coepit; quemadmodum *Giessensibus* paulo antea simile praestiterat officium, exemplo perquam raro, nisi plane inaudito, quod unus idemque uir, tam breui temporis interuallo, eandem in duabus Aca-  
 demiiis utilissimam rem fundauerit. Amplius autem admirari decet I N C L Y T A E N O R I M B E R G E N S I S R E I P. P R O C E R V M P E R I L L V S T R I V M animosam in bonas Artes ac scientias liberalitatem, qui nil ueriti praesentia tunc ingrauescentis belli pericula temporumque difficultates, magno sumptu, *Scholam* haectenus suam, ad studiorum *Vniuersitatis* altiore gradum extulerunt: Ut propterea non habeat *illustris Academia Fridericiana*, quod sola gloriatur, etiam nummis expresso elogio, *fundatam se esse medio bello!* Idem

enim

enim hoc nostra de se multo prius, eoque magis euidenter praedicare poterat, quo magis constat ex historia illorum temporum, quam prope huic oppido tunc imminuerit Martis furor, et quam saepe grauiterque turbauerit Musas nostras non unus *Hannibal ad portas*; cuiusmodi periculis tam praesentibus exposita nunquam fuit alma Fridericiana. Caeterum *benignissimi nostrae* ACADEMIAE ALTORES atque CVRATORES non satis habuerunt condidisse ipsam difficillimis temporibus, uerum etiam non minori prudentia quam felicitate conseruarunt eandem, ac subinde nouis ornamentis cumulauerunt, quorum sane haud postremum est illud *horti nostri*. Hunc ergo, curae suae commissum, IVNGERMANNVS intra paucos annos adeo locupletauit, teste stirpium catalogo bis auctius edito (\*), ut inter omnes Germaniae hortos Academicos emereret, famamque apud externos etiam consequeretur: Quemadmodum uix inchoati procurationem suscipere, et in eo consenescere optauit magnus ille Polyhistor *Ianus Gruterus*, ideoque ad *Casp. Hoffmannum* literas dedit, ferii sui desiderii interpretes,

C

pretes,

(\*) primum A. 1635 in 4. deinde A. 1646 in 8.

pretes, quae extant in epistolis Richterianis (\*). Sed enim vero ignorabat fortasse *Gruterus*, illam spartam, ut ornaret *Iungermannus*, praecoccupatam iam fuisse: Nec dubium est, quin hoc ita euenerit ἀγαθὴ τύχη, maiorique horti emolumento. Fieri autem non potuit, ut plane non fentiret communem illius temporis iniuriam tenella tunc *Flora nostra*, et in discrimen uastitatis adduceretur, aut saltem incrementi felicioris impedimentum nonnunquam pateretur: quandoquidem, ut propriis illius optimi Viri verbis (\*\*), utar, οὐραξίς illa calamitatum publicarum, quae bellorum fremitu, miserorum gemitu, et tabe studiorum omnes

(\*) pag. 540. unde placet ipsius Gruteri ad C. Hoffmannum perscripta quaedam referre: Cum significares, inter alias scholae uestrae accessiones, esse etiam hortum medicum, eidem illi horto ego me comiter oggereram pro hortulano, si forte inclytus Vester Senatus mea opera uti cuperet, inopia melioris. Hortulanus, inquam, facultatis esse medicae cupiebam, qui sub uicario uno aut altero uel praerirem, uel praescriberem ea, quae ad Horti talis curam, cultum ornatumque spectare possent. Nonnihil enim profeci in ea arte, certe omnium scripta, qui de re rustica et botanica unquam prodierunt, diligenter examinaui: neque nullum adhuc extitit herbarium cum figuris, cuius exemplar mihi non comparauerim. - Ergo Gruterus de Bibliothecario Palatino, de historico Electorali descenderet ad hortensia: cum et Dionysius e regno ad scholam transierit. - Praeferrem omnibus Altorfium uestrum. - In horto igitur medico uestro, mi Hofmanne, experturus eras uim dexteritatemque Gruteri tui. &c.

(\*\*) in praefat. ad Lector. Catal. Plant. Horti Med. Altonf.

omnes fere Germaniae regiones compleuerat, etiam nostrum hortum medicum infestare uoluit, tantum non pari clade, qua Tarquinius superbus iste capita papauerum uirgulae percussione olim excepisse traditur. Eluctata tamen est denique cunctas difficultates eas *Altorffina Flora*, et adoleuit prospere in amplexibus amantissimi sui *Iungermanni*, qui adeo totum illi se mancipauerat, ut nullius sponsae alterius amores unquam appeteret: Saepe uero coelibatum sibi exprobrantibus comiter responderet, *tunc se ducturum uxorem, quando quis herbam sibi incognitam ostenderet.* Tanta erat Viri confidentia, quae perfectam, pro isto rei herbariae statu, intelligentiam proderet! Ast enim uero ignoscite mihi quaeso, *manes Iungermanniani*, ut per seria et iocum vosmet obtester, quodsi bonus et castus ille senex redire nunc, et praesentem Florae conditionem contueri posset, annon ultro fateretur, ex compromisso se obligatum esse, ut propter tot nouas plantarum, ab illo tempore inuentas species, sibi nunquam antea uisas, tot duceret uxores, quot forsitan nemo inter libidinosos Turcas aut Persas habuit unquam concubinas? Ille interim, salua temeritate sua,

gloriose traduxit uitam, ultra octogesimum annum; prope accedens ad felicitatem *Antonii Castoris* Romani, quem *Plinius* (\*) memorat in deliciis horti sui sobrie frugaliterque uiuentem superasse annum aetatis centesimum. Quantus autem ille fuerit, et quantum horto nostro idem commodauerit, ex eo tam prolixo literarum commercio intelligere licet, quod ipse cum bene multis ac praeclaris suo tempore Viris, praesertim botanicis habuit; quorum honorificas complures ad eum epistolas, manu singulorum propria scriptas, religiose asseruo; quemadmodum etiam *herbarii*, quod uulgo uocant *uini*, quae supersunt *rudera*, documentum praebent euidentis industriae doctrinaeque neutiquam uulgaris Iungermannianae. Caeterum auspicato accidit, ut primo huic tantopere merito *Florae nostrae* tutori succederet discipulus, et ipse botanicus insignis, MAVRITIVS HOFFMANNVS. Hic, velut in gremio eius solícite nutritus et educatus, apud Italos confirmatus, tempestiue adfuit, ut *Anchisae*, laboribus et aetate iam *fesso*, tanquam *uegetus Aeneas* humeros substerneret. Ac primum qui-

---

(\*) Lib. XXV. Cap. II.

quidem, quod is in *hortum* contulit memorabile beneficium, praeter largam rariorum stirpium plantationem hoc extitit, quod precibus suis tandem permouerit ILLUSTRES ACADEMIAE CVRATORES, ut *hybernaculo* (\*) spatioso et commodo prospicerent conseruationi *Florae* nostrae; id quod anno superioris seculi quinquagesimo sexto peractum ostendit *tabula* uotiuu (\*\*), in medio conclauis suspensa. Post aliquot annos accessit alterum emolumentum, MAVRITII HOFFMANNI pariter authoritati et uigilantiae debitum, quando uidelicet *hortus parte tertia fundi amplior est redditus*. Et de ipsa quidem eius capacitate hoc licet asserere, in nulla Germaniae Academia inueniri hortum spatiosiore, ut illum quoque Lugdunensem apud Batauos celeberrimum, isto nomine haud mediocriter superare certum sit (\*\*\*) . De situ eiusdem satis opportuno, uersus Orientem

C 3

ac

(\*) quale iam statim ab horto condito in uotis habuisse *Iungermanum*, ostendit ab ipso ad Botanophilos scripta inuitatio, cuius ἀπογραφὴν licebit infra legere.

(\*\*) cuius inscriptio integra, cum aliis p. p. exhibebitur.

(\*\*\*) Latitudo quippe Horti, ab Austro uersus Boream, est *pedum* geometricorum, decempeda Rhyndandica mensuratorum, *Ducentisim*: Longitudo, ab ortu solis uersus occasum, superat latitudinem istam pedibus XVI.



ac Meridiem praesertim patente, clauso autem aggeribus et moeniis oppidi Septentrionem uersus, nil attinet uobis dicere, *Auditores honoratissimi*, quibus ea omnia plus satis perspecta sunt. Ipsam uero stirpium, qua annuarum, qua perennium, quas hortus per priorem seculi partem aluit, haud contemnendam multitudinem aestimare licet ex *Deliciis Florae Altorffinae Hoffmannianis* (\*), tum ex hoc etiam, quod iuuenes, medicinae apud nos studiosi, non raro intra duos tresue annos totidem plantarum chiliades, non modo addiscere, sed et singularum specimina in hortos siccos sibi colligere potuerint. Caeterum in MAVRITIO HOFFMANNO inexplebilis erat auiditas locupletandi suam Floram, ut nihil antiquius nihilque carius habuerit, et aegritudinum suarum, quas senectus ipsa morbus attulerat, singulare solatium saepe quaesierit in illius frequenti conspectu cultuque, nec prius hunc dimiserit quam uitam suam, cum ultra novem lustra pulcherrime ornauerit spartam suam, non modo rei herbariae amplificator, sed et Anatomici theatri apud nos

(\*) quae primum prodierunt A. MDCLX. auctiores uero A. LXXVI. secuta est appendix unius plagulae, A. XCI. in 4.

nos autor felicissimus; in eo etiam felicior *Iun-germanno*, quod pacata, post diuturnum et exitiale bellum, Germania, diutius atque tranquillius excolere potuerit illas pacis artes amoenissimas. O fortunatum autem Virum, cui de Successore idoneo, in operibus a se laudabiliter institutis atque tractatis, aequali uirtute continuandis, securum esse licebat, quando *filium* nactus erat Collegam exoptatissimum, IOANNEM MAURITIVM, supra laudes meas positum, non minus docendae quam faciendae medicinae prorsus natum, quem et ipsemet ego per annos plures amicum amicissimum Collegam expertus ac ueneratus sum. Hic in beati Parentis sui locum successus anno seculi superioris nonagesimo octauo, praefecturam horti cum botanica professione alacriter suscepit, cum multo prius alias medicinae partes praeclare sciteque docuisset, ac Chymiam primus omnium in hoc Athenaeo publice profiteri coepisset. Quantam uero ipse *horto* attulerit utilitatem, in primis intelligi potest ex *appendice Catalogi stirpium exoticarum*, quae ab ultima huius editione, ad annum praesentis seculi tertium, haud exiguo numero accesserunt. Alio praete-

rea nomine insigniter de *Flora* nostra meritus est laudatissimus ille *junior* HOFFMANNVS, et ipse nunc uenerabilis senex, dum nempe GENEROSSISSIMIS ACADEMIAE CVRATORIBVS autor suasorque fuit, ut *hybernaculum ab utraque parte in longius duceretur*: cuius quidem amplificatio- nis beneficio effectum est, ut non modo plures hybernare iam possint plantae, sed et, quoniam *novae appendices illae* sunt paulo editiores, non paucae exoticarum, praesertim Africanarum stir- pium, uti sunt aloes, ficoidis, sedi species, quae ficciorem desiderant aerem, nunc longe felicius quam antea conseruari queant, cum antiquius hybernaculum hoc habeat aliquid incommodi, quod ab uno latere altius in terra fundatum, pro- pterea humidius existat. Nullum autem est du- bium, quin plura percepturus fuisset emolumen- ta hortus noster a beneuolo affectu illius Excel- lentissimi Viri, nisi ipsum ante duodecim hos an- nos eripuisset Musis nostris, totumque suum fe- cisset *Aula serenissima Onoldina*. Post eius igitur discessum (\*) singulae quas idem ornauit profes- siones mihi demandatae sunt, cum ipsa horti praefe-

---

(\*) ineunte anno huius seculi XIII.

praefectura. Ab eo autem tempore tanto maiori studio administrandam mihi esse putavi istam prouinciam, quanto facilius perspexi, talibus Viris me datum successorem, quorum quidem illustria facta imitari gloriosum, merita uero assequi perquam arduum foret. Conatus tamen sum, pro uirili parte, illud primum efficere, ne quid detrimenti hortus, bene iam constitutus, per me caperet, quoniam

*Non minor est uirtus, quam quaerere parta tueri.*

Hoc itaque cum non infeliciter mihi cessisse animaduertentem, cogitare porro coepi, num etiam aliqua ratione possem augere diuitias *Florae nostrae*? Hunc in finem inuitavi per literas, ad amicum commercium opemque ferendam, aliquot eximios Viros, consimili fungentes officio, inter quos non sine magno dolore animi recordor haud ita pridem sublatum e uiuis Theophrastum Lipsiensem, celeberrimum illum *Riuinum*, uehementiusque dolerem, nisi me consolaretur Excellentissimorum nostroque horto prolixè fauentium Botanicorum, *Antonii de Iussieu*, Professoris et botanici Regii Parisiensis, *Io. Bartholo-*

D

*maei*

*maei Adami Beringeri*, Herbipolensis Archiatri et  
 Professoris primarii, et *Ioannis Boeckleri*, Argentinensis Philosophi pariter ac medici Professoris, quos honoris causa nomino, tum et aliorum quorundam adhuc superstitem amicorum humanitas. His praecipue acceptam refero gratus haud poenitentem *stirpium rariorum accessionem*, et subinde ( ut fieri solet ) pereuntium recuperationem. Spero etiam proxime adfuturos ex Italia terrisque aliis, qui parilem nobis liberalitatem sint exhibituri. Ad uoluntatem igitur meam quod attinet, Florae locupletandae causa, non multum desiderari posse confido: quantum uero reapse haecenus praestiterim, aut in posterum praestiturus sim, id aliis iudicandum relinquam. Dissimulare autem non possum, quod in lucro aliquo laboris improbi hoc ponam, me ab initio botanicae professionis non paucos industrios attentosque habuisse et adhuc habere discipulos, spectatores atque procos Florae nostrae; quorum aliquos etiam egregios ipsius propagatores iam uideam, et amplius fore praesagiam. Caeterum nefas esset omnino, si praetermittere uellem silentio, quam insigniter in eadem prouehenda **ILLVSTRES**

STRES DOMINI CVRATORES nostri, qui nunc rerum auspicato potiuntur, munificentiam suam nouis speciminibus declarauerint, dum meae deprecationi locum gratiose concedentes, non modo *aestiuum quasi tepidarium*, aut fouendis calore solis deliciaribus stirpibus, earundemque uelociori incremento feruens et idoneum conclaue meridiem uersus prolixè fenestratum (\*) aedificari fecerunt, sed et nuper admodum decreuerunt, ut aliud *supra hybernas aedes conceptaculum* erigeretur, quod propediem, bono cum Deo, absolutum perfectumque comparebit. In hoc mihi statutum est inprimis recondere *omnis generis plantarum fructus ac semina*, et congruenter disponere, ut non solum sationi quotannis peragenda, sed et demonstrationi ad oculos botanophilorum praesto esse queant. Hoc enim utique postulat accuratior hodie recepta methodus, secundum quam differentia stirpium, tam generales quam speciales, a figura aliisque circumstantiis fructuum ac seminum petuntur, quae isto tempore quando plantae floribus potitae in horto solent ostendi, plerunque nondum obseruari

D 2

queunt.

---

(\*) uulgo Glas-Haus.

queunt. Et sane propitiis hoc adscribendum fati existimo, quod istud necessarii apparatus horti nostri ornamentum, et quasi complementum, ante finem primi eius seculi accesserit. Pace igitur uestra, A. O. O. H. liceat mihi, in modum *propopoeias* alicuius, consciam sibi felicitatis suae, et loquentem introducere *Floram nostram*, mutuatis ab *Horatio* (\*) parumque mutatis uersiculis :

*Hoc erat in uotis, locus horti sat spatiosus,  
Tecta quae plantas praestent a frigore tutas,  
Spermatophylacium super his foret: auctius atque  
Dum melius fecere: bene est: nil amplius oro,  
ALME PATER, quam ut perpetua haec mihi munera faxis!*

D I X I.

(\*) Sermon. Lib. II. Sat. VI.

III. CAR-

III.

*CARMEN SECVLARE*

QVOD

AD PRIMVM HORTI MEDICI  
ACADEMIAE ALTORF.

**FESTVM SECVLARE**

D. XVI. MAI. A. R. S. c1o1occcxxvi

SOLENNITER CELEBRATVM

ACCOMMODAVIT

ET

*IN PANEGYRI CANENDVM*

INSTITVIT

**IO. IAC. BAIERVS.**





*Audete Cives, quotquot amabili  
FLORAE fauetis, quique precamini  
Eius uigorem longiorem,  
Psallite carminibus decoris!*

*Nondum remisit pristina CHLORIDOS  
Foecunditas, quin ipsa renascitur,  
Effoeta cum iam censeatur,  
Praetereunte priore seculo,*

*Subinde largam progeniem dare  
Foecunda pergit, quicquid et omnibus  
Ex angulis totius orbis  
Colligitur medicantis herbae.*

*Heic*

*Heic Indiarum semina torrida,  
Septentrionis donaque frigida,  
Aequaliter matris benignae  
Participant alimentum optimum.*

*Non est colonus, qui bene conditas  
Merces apud nos non uideat suas:  
Desiderat nil, quicquid optat  
Sumere pharmacopola stirpis.*

*Huic ergo longae CHLORIDOS optimae  
Foecunditati applaudere nunc decet:  
Manesque IUNGGERMANNIANI  
Secula plura Deae precantur:*

*HOFFMANNIANAE se associant preces,  
Nullis secundae, sed meritis pares:  
Qui nunc adest Praefectus horti  
Consonat ore animoque laeto.*

\* \* \*

*Te, quem benignum casta Patrem suum  
CHLORIS salutat, cunctipotens DEVS,  
Qui procreas, solusque seruas  
Quicquid habet viridantis herbae,*

*Quic-*

---

*Quicquid refundit de gremio suo,*  
*Oramus, esse ut perpetuum uelis*  
*Horti decus, FLORAE uigorem,*  
*Delicias Iatrophilorum!*

*Stet instar horti florigeri diu*  
*Duretque porro tota ACADEMIA,*  
*Sub NORIDIS cura fideli,*  
*Otia quae facit haecce nobis.*

*Non monstret hortus, quem Tua dextera*  
*Plantauit, infaustam, O PATER optime!*  
*Profapiam zizaniorum,*  
*Aut lolii uitiantis agros:*

*Producat autem nil nisi quod bonum,*  
*Quod fructuosum, quodque salubre sit!*  
*Optare sic FLORAE licebit,*  
*Vt celebret bene plura secla!*

---

\* \* \*

Cum forte fortuna acceperim exemplum epistolae, qua LV-  
 DOV. IVNGERMANNVS Herbariae rei fautores olim inuitaue-  
 rat, ad suppetias Horto neophyto liberaliter ferendas, opportunum  
 existimaui scriptum istud heic subiungere.

AD

## III.

AD LECTOREM BENEVOLVM ET  
SERIVM REI BOTANICAE AMATOREM.

**C**ompellationem nostram, *Lector beneuole*, rei herbariae debes, huic uidelicet claritati, quae ab origine diuina, ante Solis et Lunae exortos radios, ui omnipotentis uerbi caepta, praeter *Saluatoris nostri* seriam commendationem, totius antiquitatis admirationem, et curam elicuit, adeo etiam, ut per hanc ipsam Reges et Magnates seculi, nomina sua facta et tecta posteritati consecrare, plantas quasdam in triumphis suis sibi praeferri, et stratagemata contra hostes ab illis mutuare, imo et propugnatione atque propria manuum cultura nobilitare uoluerint. Haec est illa commoditas, quam per omnes terrarum tractus, nullo unquam diuinae prouisionis miraculo maiore, natura dispersam uoluit, ut ad necessitatem salutemque mortalium muniendam et tuendam in quacunque temporis opportunitate, absque ullo impendio obuia foret, ceu primaeva aetate, primum alimentum ex stirpibus duxit, ex harum uero fronde uestis quaesita fuit, attestante *Plinio*. Atqui haec DEI nostri Magnalia, salutis humanae praesidia, Magnatum et Optimatum curas et delicias, maiores male accepissent, nisi nobis posteris reliquissent. Quin potius uirtutum et utilitatum

E

omnium

omnium auidissimi , ingeniis inter se adeo certantibus nihil non expertum in hac re , nihil occultatum permiserunt : Multo secius ac nostra aetas , quae fastidiosa admodum in aestimandis bonis suis , ceu natura talia , quodam ludibrio , saltem ne decoctrix et otiosa foret , in lufum , et abufum puerorum condidiffet , praeterit , abfcondit , euertit , et tantum non Tarquiniano modo , quafi capita papauerum , uirgulae ic̄tu intentato excipienda fatagit. Quafi forderet aufus antiquorum , quibus Medicorum proceres merito aliquid fplendoris acceptum referunt ; puta *Crataeuam* , *Theophrastum* , *Diofcoridem* , *Galenum* , *Auicennam* , et tot recentiorum lumina etc. Hi quidem remediorum promptitudine obarmati , certam felicitatem inde quaerentes , fata hominum propria , non aliena , industria nos gubernare docuerunt. Illi autem in tacita crefcentium Maieftate praefentiam *Numinis* eiusque prouidentiam , hic in minimis magnam , in magnis largam , in fingulis admirabilem , uenerantes , diuiniſſimae aurae ſuae particulam , adſpectu ſtirpium , ſpiritus uero , illarum odore refocillandos et reficiendos duxerunt. Hinc *Martialis* : *Non eſt uiuere , ſed ualere , uita !* Vnde uero uiuimus ? Vnde ualemus ? Stirpium adminiculo uiuimus , per illas bene uiuimus , uitamque aliorum redimimus. Solem igitur e coelo tollit , qui tales utilitati humanae et ſuſtentationi animalium conditas , ſubducere tentat. Et ſicuti agricolae uites ulmo , ſic res herbaria medicinam maritare uidetur. Quo ueriora igitur , et manifeſtiora

stiora illa sunt, tanto laudabilior est conatus quarundam Rerumpublicarum et Academiarum, quae hortis Medicis instruendis laborant, scilicet ne huius cognitionis rudes, pro marathro ueratrum, pro apio opium, quasi cum Ixione, *pro Iunone nubem capiant*. Praestat itaque, ut talia opere quam ore docenda, *ἀποψία* nostris exhibeat oculis. Hunc modum, moremque insignem, gloriosa quadam pietatis contentione INCLYTAE REIP. NORIMBERGENSIS SENATVS, per *Nobilissimos et Amplissimos Dominos SCHOLARCHAS nostros*, omni obsequii cultu honorandos, hoc in loco etiam propagare censuit, dum accessione HORTI MEDICI Vniuersitatem clariorem reddere decreuit, qui commodo loco positus, et probe inceptus fuit. Atque ad perficiendum eundem, illorum quidem praeclara uoluntas largiter patuisset, nisi fatalis temporum tempestas, inualescentibus passim terrarum bellis, nobis etiam infesta, Hannibalem aliquem tantum non ad portas Musarum adduxisset; Quare bene inceptum opus hucusque adeo cohibitum fuit, ut haecenus magis pro, laeta herbarum amoenitate, aruis nostris impressas praedonum uagantium plantas, et muricata equorum uestigia nobis obuia fuisse conqueri cogamur. Nunc tandem induciis aliquo modo a DEO T. O. M. Nobis concessis, ad opus nostrum *horti medici* absoluendum feruidiores, bonorum hortulanorum morem sequendum putauimus, qui non uno amne tantum contenti, sed riuis uarie hinc inde deductis, hortos suos irrigare solent. Quare cum HOR-

TVS noster tam uernaculo quam peregrino fulgore placere gaudeat, et erigendis ac extruendis quibusdam *aedificiis necessariis* opus habeat, ad quae non parui requiruntur sumptus, omnes *rei herbariae cultores et amatores*, cuiuscunque status et ordinis sunt, ambire, orare et obsecrare uoluimus, ut antiquorum aemulationi inhaerentes, *Floram nostram* Patrocinii sui aura fouendam fuscipere, et ceu teneros a frigore myrtos defendere, splendore munificentiae suae irradiare, liberalitate uero adiutare dignentur. Optimi optimas operas dabunt, datasque pulchre locabunt. Omnes enim sibi gratas gratias, et immarcescibilem instar Amaranthi obseruantiam, semper uigentem, instar Aizoi, amoris cultum omni tempore a nobis reponi sentient. Imo, ut hic aliquam saltem grati animi declarationem statuamus, in LIBRO HOC (\*) aequae ac *in albo quodam aeternitatis, Nomina illorum*, quasi in Cedro immortalitatis, uel in arce Monetae, aut potius peplo Mineruae, ceu *Virgilius* Messalae facta, uel *Aristoteles* Heroum memorias inscriptas, et intextas uoluit, insculpta, reposita, et consecrata inuenient. Ut sit, Nos omnimode deprehendant *debitores* animi (etiam totidem ad sacrum Musarum numerum literis) PERPETVOS.

(\*) Libri huius, qui sine dubio hic alicubi extitit, et non pauca Botanophilorum nomina et liberalitatis eorundem monumenta complexus fuit, nullum uestigium, tamen si sedulo inquisiuerim, indagare haecenus potui.

V.

SEQVUNTUR

## INSCRIPTIONES

QVAE IN HORTO MEDICO ETIAM NVNC LEGVNTUR

AVTORE

MAVRITIO HOFFMANNO.

*Ad Portam Horti superiorem.*

HIC NATVRA PARENS, TOTO QVOS PARTVRIT ORBE  
FLORES FERT OCVLIS, QVEIS LEGE, NON MANIBVS

*Intrantibus per isthanc Portam VRSVS fictilis  
haec acclamat:*

*In die Augen alles fasse!  
Deinen Händen ja nichts lasse!*

*Supra Portam Hibernaculi apricam, Ordinem Exoti-  
carum Plantarum haec uerba respiciunt:*

HIC ARGVS ESTO, NON BRIAREVS.

*In Hibernaculo eiusque in medio inter fornaces pariete:*

B. F.

VITAE ET VALETVDINIS HVMANAE PRAESIDIA  
MIRA VARIETATE ET COPIA SESE OSTENTANTIA  
CVRAM MINIMAM COLLIGENDI  
DISCERNENDI MAXVMAM  
AEQVALEM FACILEMQVE REDDI  
HORTO IN HOC MEDICO  
PAVLO POST VNIV. COND. ADORNATO  
QVICVNQVE CERNIS  
GRATVS INCLVTAE REIP. NORIMB. BENEFICIVM  
AGNOSCE

E 3

NATVRAE



NATVRAE MVNIFICENTIAM SVPERANS  
CVIVS PERPETVITATI IVVANDAE  
NOBILISS. ET PRVDENTISSIMI  
DNN.

GEORGIVS IMHOFF III. VIR  
LEONHARDVS GRVNDHERR VII. VIR  
— IODOC. CHRISTOPH. KRESS A KRESSENSTEIN  
IO. IACOBVS STARCK A RECKENHOFF  
SENATORES ET SCHOLARCHAE BENEMERITISSIMI  
MAGNO SALVTIS PVBLICAE COMMODO  
REIQVE MEDICAE INCREMENTO  
HIBERNACVLVM HOC PLANTARVM  
A FVNDAM. EXTRVI CVRARVNT §  
PRAEFECTO OPPIDI  
CHRISTOPH. ANDREA IMHOF  
BOTANICO  
MAVRITIÖ HOFFMANNO DOCT.  
A. C. CLOCLVI.

\* \*

*Ad Diaetam in centro Horti.*

CIVIS. AMICE. ADVENA.  
QVI HORTI AMOENITATE.  
CVPIS. OBLECTARIER.  
MODESTIAM. ET. CONTINENTIAM.  
COMITES. HABEAS.  
FLORAE CVSTODES.

\* \*

*Exeuntibus per Portam inferiorem LEO fictilis*  
*haec inculcat :*

Mit Augen dich freue /  
Mit Händen dich sehe !

VI. TE-

## VI.

TESTIMONIA QVAEDAM  
CLARISSIMORVM VIRORVM  
DE  
HORTO MEDICO ALTORFINO.

\* \*

IO. VESLINGII, Mindani,  
*Equitis, et in Patauino Gymnasio Anatom. et Pharmaciae  
Professoris Primarii.*

Vigent in Germaniae sinu ALTORFINAE TEMPE, indu-  
dustria *Ludouici Iungermanni*, incomparabilis Bota-  
nici, in medicarum uirtutum compendium redactae  
amoenissimum. *Paraenes. ad rem herb. p. 80. et 81.*

\* \*

GVERNERI ROLFINCII  
*Phil. et Med. D. et Prof. Primarii in Academia Ienensi.*

Exemplo aliarum Academiarum inuitati *Illustrissimi Se-  
natus Norici Proceres*, suasu *Casparis Hofmanni*, Pro-  
fessoris totam per Europam praeclarissimi et multo-  
rum meritorum Medici, euocarunt *Gieffa Ludouicum  
Iungermannum*, virum herbariae rei peritissimum,  
qui tam suauiem experiebatur hortensem operam, ut  
soli se ei deuoueret totum, hisque amoenitatibus dies  
et noctes indefesso studio impenderet. Publico sum-  
tu ille HORTVM *Altorphii* extruxit SPLENDIDISSI-  
MVM, eique praefuit per multos annos, etc. *Lib. de  
Vegetabilibus, p. 141.*

\* \*

PAVLI MARQVARDI SCHLEGELII

*Med. Prof. in Academia Ienensi.*

Inter Germaniae Scholas hodie illa, quae *Altorfii Norimbergensium* est, *hortensi medicina* caput exserit: cuius praefectus D. *Ludovicus Iungermannus*, incomparabilis Florae antistes, et Botanicorum aquila, hoc decennio Norimbergensium Reipublicae probavit, una hac Florali ueste plus decoris et celebritatis Vniuersitati fuisse conciliatum, quam amplissima Collegii structura. *In Programmate, quo studiosos Botanices ad Lectiones hortenses inuitauerat, Ienae, Anno clc lxxix.*

\* \*

PETRI CASTELLI, Romani,

*Med. Profess. et Botanici Messanensis.*

Nec uero Germania carere uoluit plantis eiusmodi fructiferis (utilibus): quemadmodum uidere licet in florentissimis Academiis, Argentinae, Basileae, ALTORPHI etc. *In praefat. ad Lect. horti Messanensis.*

\* \*

HERMANNI CONRINGII,

*Polyhistoris ac Medic. Prof. Helmestad.*

Ne Germaniae quoque laus hortorum deesset, cautum est amplissimi SENATVS NORIMBERGENSIS cura, per LVDOVICVM IVNGERMANNVM, Virum herbariae rei peritissimum, HORTO *amplissimo instructo Altorfii*. *Introduct. in Art. Med. cap. 10. §. 9.*

\* \*

GVNTHERI CHRISTOPH. SCHELHAMMERI,  
t. t. Med. Profess. Helmest ad.

*Altorfinas plantas* accuratius descripsit MAVRITIVS HOFFMANNVS, Vir rectissimo iudicio, et antiqua fide inter doctos hodie praecipuus, et Botanicarum rerum longe peritissimus, *Catalogo* edito, cum earum quas FLORENTISSIMVS eius HORTVS profert rariores plerasque, tum quas uniuersa uicinia. Placet autem prae caeteris omnibus hic *Catalogus*, quod non synonyma tantum et loca addidit, tabulaque topographica, aeri insculpta, adnexa, indicauit, sed et indice nouo per menses singulos, quae ubi inuenienda sint doceat: ita ut quilibet rei herbariae utcunque initiatus, sponte sua, sine magistro aut comite possit omnia inuenire. *In additamentis ad Corring. introd. in Art. Med. cap. X. §. 10.*

\* \*

IOANNIS RAII,  
*Botanicorum inter Anglos facile Principis, qui peregrinans*  
A. C. MDCLXIII. *Florae nostrae potissimum inuisendae*  
*causa huc uenit.*

Altorfi extat *elegans hortus medicus*. -- Quantum ad plantas attinet, *duplicem Catalogum* edidit D. MAVRITIVS HOFFMANNVS, unum quidem earum, quae aluntur et conseruantur in horto isto medico, alterum sponte nascentium, circa oppidum. In illius catalogi compositione multum laboris eum impendisse apparet, ut ego existimem catalogum hunc esse locupletissimum et ualde exactum. *In Obseruat. Topograph. Anglico idiomate editis, p. 112. et 13.*

F

PAVLI

\* \*

PAVLI AMMANNI,  
*Med. Prof. et Botanici Lipsiensis.*

*Hortus medicus Lipsiensis* parem (excipio autem merito NORICO - ALTORFINVM) in Academiis Germaniae non habet. *In Praefat. ad supellect. Botan.*

\* \*

IOACH. VITI VVIGANDI,  
*uero autem nomine*

IO. VALENT. VVILLII, Colmariensis,  
*Medici.*

*Altdorffinus hortus* facile inter Germaniae Academias principatum obtinet, nec Theatrum deest Anatomicum, quod copia sceletorum uariorum animantium superbit! *In Dissert. de Philiatrorum itineribus per Germaniam, p. 213.*

\* \* \*

Cum propemodum decreuisssem, et collectioni huic, et toti opusculo finem facere, boni quidam Viri admonuerunt, ut adii- cerem istud CARMEN, quo PHILIATRORVM pietas, mihi, tunc *memoriam secularem Florae nostrae* solenniter celebranti, con- gratulata fuit. Hoc ipsum igitur, neutiquam ob expressas ad calcem laudes, qualiumcunque meritorum meorum, certe parum desideratas, sed propter elegantem poesin, et uiuidam fatorum horti recitationem, *Auctore suo doctissimo* (quem nominare mode- stia ipsius prohibet) plane dignam, hac noua typorum impres- sione posteritati conseruare uolui.

VII. SAE-

VII.

SAECVLAREM MEMORIAM  
INITIORVM

HORTI MEDICI  
ALTORFINI

*ORATIONE SOLEMNI*

A. D. XVI. MAII MDCCXXVI  
*CELEBRANTI*

(TIT.)

DOMINO

IOANNI IACOBO  
BAIERO

PHIL. AC MED. DOCTORI

HVIVSQUE PROFESSORI PRAXIN  
CHIMIAM ET BOTANICAM EX CA-  
THEDRA PRIMARIA DOCENTI

ACADEMIAE CAESARIAE LEOPOLDINO-  
CAROLINAE NATURAE CVRIOSORVM  
ADIVNCTO

HORTI DIGNISSIMO PRAEFECTO

*PATRONO ET PRAECEPTORI*  
*OPTIME MERENTI*

GRATVLATVR

SOCIETAS PHILIATORVM ALTORFINA



*N*orica continuo summi sub Numinis  
 umbra  
 Felix urbs, alias multum superare so-  
 rores

*Sueta diu, genium nascens sortita fidelem,  
 Perpetuoque Patris Augusti Caesaris implet  
 Cultu, ac ingenuis inspirat ciuibus unum  
 Obsequii studium. Vigor unus, mens eademque  
 Fertur in aeternum decus et uirtutis honorem.  
 Illi peruigiles curando ducere noctes  
 Edocti, speculis insistent: hinc nocituros  
 Prospiciunt uentos, cursumque ratis moderantur,  
 Quo pietas patriaeque salus uestigia signant.*

*Excitat*

Excitat exemplum ciues, cunctique, Parentum  
 Intuiti patriae studium, stimulantur honesta  
 Virtutum cura, rectique feruntur amore.  
 Stat suus ingenuis honor artibus, otia, turpes  
 Dedecorum matrès, haec semper moenia uitant.  
 Viderat hoc illustre decus, qui sceptrum tenebat  
 Imperii, et placido tales de pectore uoces  
 Mittebat: par est praeclarae non moritura  
 Praemia uirtutis, me nunc donante, capeffas.  
 En tibi Palladium ius fas sit condere templum,  
 In quo Pieriis ponas consortia Musis.  
 Dispice nunc aptas sedes, clarosque magistros  
 Undique collectos celebrandis praefice sacris:  
 Sive piae sitiunt mysteria religionis,  
 Seu iuris decreta uelint, artesue medendi,  
 Inspicere, aut diuae cupiant praecepta sophiae.  
 Neque labor tepeat praeclarae praemia laudis,  
 Distribuenda meo merituris nomine, trado,  
 Qualibus haud meliora queant maioraque cuncti  
 Musarum coetus ulli conferre petenti.  
 Haud minus ac iussi faciunt queis cura salutis  
 Musarum a patribus patriae commissa sedebat:  
 Moxque Palaecomen, nimium, sua si bona nossent,  
 Felicem, placidis Phoebæ sedibus aptant



Turbae, Castalio quae mox modulamine terras  
 Impleuit, resonumque melos, famulantibus auris,  
 Undique dispersit. Populosa Lutetia, dulcem  
 Admirata sonum, uacua concentibus aure  
 Fauit: uosque Antenoriis qui sedibus artes  
 Traditis: et toto diuisos orbe Britannos:  
 Vos Suecos, Batauos, Danosque argutia cantus  
 Traxit, et ingenuis coetus nascentis amorem.  
 Ipse chori praeses, medicinae inuentor Apollo,  
 Ut citharae quondam neruos arcumque remisit,  
 Et per subiectos agros montesque propinquos  
 Ambulat, ac placidis germanam forte requirit  
 Gressibus, egregiam laetus prope stare Dianam  
 Conspicit, ingenua comitatam uirgine, passos  
 Per madidam lacrymis faciem uersante capillos.  
 Vix inter gemitus querulas expromere uoces  
 Illa ualet: proprio natam de sanguine Floram,  
 Attamen agnoscit Phoebus, causasque doloris  
 Dicere et indubiam iubet expectare salutem.  
 Sumtis illa animis supplex sic orsa parentem  
 Alloquitur: Rex Phoebus, pater cur numina  
 Diuum  
 Threicio licet infauisto pede conculcasse?

Nonne

Nonne TVO iussu lucum, prope flumina Lani,  
 Nuper sacrauere mihi Gissensis alumnae  
 Pindi, et suauiloquum cupidae tribuere sacrorum  
 Custodem: cui tute pater medicamine morbos  
 Pellere et herbarum uires nouisse dedisti?  
 Iam me, iamque meum, uiolentis expulit armis  
 Haud male promeritos, Mars impius, ipseque  
 lucum

Sanguine purpureo foedauit. Nunc ego supplex  
 Pro Iungermanno precor, ah! mihi redde roganti  
 Huncce uirum, mihi redde locum, quo ponere  
 templum

Possim, ne patiare Tuam sine sede uagari  
 Extorrem ac inopem per mille pericula prolem.  
 Dixerat: et Phoebus casum miseratus acerbum  
 O mea, pelle metum, dixit, stabilem tibi sedem  
 Norica terra dabit. Patrem dixisse putato.  
 IUNGERMANNVS erit saluus, porroque ministras  
 Plantandoque manus luco praebebit, et omnem  
 Instituet cultum: Tu nunc comitare parentem,  
 Ut doceat sortemque loci, finesque metitus,  
 Tradat perpetuo lucum tibi iure tenendum.  
 Iuerunt uisum; uiderunt. Flora, parentis  
 Munere laeta, suum curabat protinus agrum

Aptum

*Aptum culturae reddi, doctumque uocari*  
*TE IUNGERMANNVM, cui cetera credidit uni.*  
*Tu, nobis semper nomen cum laude canendum,*  
*Tu Florae genius, Germanae gloria gentis,*  
*En optatus ades et tecum semina defers,*  
*Quae, nostro mandata solo, primum decus horti*  
*Dignaque consilio sistunt exordia magno.*  
*Proxima cura fuit campos percurrere apricos,*  
*Quotque recondiderant uiridantia prata, de-*  
*coras*  
*Quot lupuleta fouent, quot densis silua sub*  
*umbris*  
*Texerat, aut nitidis uoluit praetexere ripis*  
*Riuulus aut stagnum, plantas describere tentas.*  
*Saepe ferunt Satyros, et agrestia numina, Faunos,*  
*Nympharumque genus, Sylvanos monticolasque,*  
*Consilium cepisse simul ueritosque fuisse*  
*Progeniem ne forte suam disperdere tentes:*  
*Et sine praesenti Phoebos monitore fuisses*  
*Vix auidos rictus et acutos effugere unguis*  
*Fas fuerat. Tanto nobis molimine Floram*  
*Concilias, spoliisque tuis reddis locupletem.*  
*Te quoque tunc, procer a larix, ex montibus altis*  
*Ad nos delatam, terrae mandare paratus*

IVNGERMANNVS ait : nunc te , pulcerrima  
nostris

Inferit haud malefida manus spaciis , nec auara ,  
Dum tremulis aptum flammis aerique liquando  
Acquiras truncum , cuneos strictasque bipennes  
Abscondit. Metuant tam tristia fata per Alpes  
Agaricique patres succi matresque salubris  
Qui claras Cyprii supplet lacrymas terebinthis.  
Tu securam mali , me nunc sponsore , per altum  
Aethera uernantes ad nubes surrige ramos  
Donec in australi montem regione uidebis  
Schlipfelium , et boreae subiectum Mauritianum ,  
Pluraque deliciis Florae loca sacra uenustae.  
Quo nos per uirides excurrere saepe solemus  
Menses , et pulcras , iuuenum comitante caterua ,  
Asportare domum plantas , queis pars hiemales  
Instruit exornatque hortos , pars tentat et usus  
Multiplices querulis hominum languoribus aptos.  
Successit tandem senio morbisque soluti  
In Iungermanni curas HOFFMANNVS honestas  
Impiger , et firmos iuuenili in corpore neruos  
Attulit et nimias animi , pro munere , uires ,  
Ad laudis pulcram stadio decurrere longo  
Metam , et difficiles fortem superare labores

G

Hoc

Hoc decus, hoc meritis exornat tempora lauris.  
His stimulis actus Dominorum tecta subiuit  
Virtutisque parem petiit cepitque palaestram.  
Adiicitur ueteri spacio pars tertia: fiunt  
Frigoribus brumae arcendis habitacula, plantis  
Commoda sub nostro non suetis uiuere caelo.  
Nunc habuit studium, quo desudare liceret,  
Curriculo stadium celeri, luctaeque palaestram  
Sed superant vires, nec puluere uicta fatiscit  
Hoffmanni uirtus, donec bis quinque peractis  
Iam lustris, uarii quantum lassare labores  
Possint, et senium vires infringere sensit.  
Iamque satur uitae fertis redimitus et auro  
Excessit stadio et uirtutum lampada nato  
Tradidit et Florae tutelam. Posteritati  
Nominis aeternum decus et uictura reliquit  
Ingenii monumenta sui. Nunc Musa canendum  
Institues meliore sono magno patre natum  
Et, si uera placent, maiori luce coruscum.  
Cetera decantent alii, nos munera Florae,  
Etsi particulam meritorum, HOFFMANNE,  
canemus  
Iantorum minimam. Quantum tibi debeat  
hortus

Adiectae

Adiectae reliquis stirpes plantaeque loquuntur  
 Africa quas Libycis mittit de syrtibus, et quas  
 Aethiopum uersare manus sub sidere cancri,  
 Horrida gens nimio solis fuscata calore,  
 Sola queat, ni Tu, naturam uincere doctus,  
 Temperiem reddas caeli solisque fauorem  
 Serues aediculis Hoffmanno auctore paratis.  
 Salue delictum Florae! TE mitis Hygea  
 Ipsa sacerdotem foueat fatumque repellat,  
 Ut possis uegetam laetus tolerare senectam.  
 Nunc fas sit BAIERE Tuas attingere laudes:  
 TE Florae genium bene cultus comprobat hortus,  
 Qui per TE uita fruitur plenoque uigore.  
 Diuitias quisquis partas seruasse studebit  
 Istunc eximia rem dignam laude patrasse  
 Dicimus: at per TE res integra crescit et auctus  
 Accipit insignes. TIBI Gallia suppeditauit  
 Semina plantarum: TIBI Lipsia docta remittit;  
 Herbipolis per TE cum nostro iungitur horto.  
 TV nostri coetus clare facundus Apollo  
 Herbarum uires monstras, artesque medendi  
 Differis; et per TE uarias discernere plantas  
 Discimus, atque omnem regni uegetabilis artem.

TE sequimur quocunque uocas, atque aurea dicta  
 Aures excipiunt auidae, mens grata recondit.  
 Quot plantis uitam conseruat spermatotheca  
 Auspiciis iam structa TVIS, quot uere nouato  
 Flores hortus habet, quot fructus foenerat annus,  
 Tot sint felicitis BAIERO commoda uitae.



\* \* \*

Visum denique fuit, adhortantibus amicis, haud incongruum, superaddere  
**CARMEN**, uernaculo licet sermone conditum, quo **PHILIATRI**, quarto  
 abhinc anno, **IVBILAEVM** ueterani nostratis, ac de Flora sane multum me-  
 riti **HORTVLANI**, concelebrare dignati sunt: Quod displicere tanto mi-  
 nus posse confido *Lectoribus*, idiomatis Teutonici non prorsus ignaris, quanto  
 magis se illud, *uocabulorum*, quibus designari complures *berbae* solent, *transla-*  
*tione lepida*, uel me tacente, commendabit,

VIII. *Als*

VIII.

Als

**Hr. Konrad Böner**

bey hiesigen fürtrefflichen und berühmten

**HORTO MEDICO**

zunnehro über ein halbes Sæculum

Wohlverdienter Kunst-Gärtner

**Sein IVBILAEVM**

im jetzt - lauffenden 1723<sup>ten</sup> Jahre

mit Ruhm und Ehren

celebriren konte /

hat deswegen

**Ihre zufällige Garten-Gedanken**

bey Gelegenheit

Einer

**SOLENNEN HERBATION**

glückwünschend eröffnen wollen

Die sämtliche

**SOCIETAS MEDICA.**





**D**in Schiffmañ höret gern von Schaum der wilden Fluthen/  
 Ein Jäger von dem Wild/ ein Bauer von dem Feld/  
 Ein schnaubender Soldat von Schießen/ Stechen/ Bluten/  
 Ein Mahler von der Farb/ ein Wechsler von dem Geld:  
 So wird auch/ Berther Greiß/ ein Blat von Garten-Sachen/  
 Das unsre Liebe schreibt / Dir keinen Eckel machen.

Du hast nun funffzig Jahr den schönen Kräuter-Garten/  
 Der Palacomen ziert / mit klugem Fleiß gebaut.  
 Es war Dir eine Lust denselben stets zu warten /  
 Je länger - lieber *a)* hieß Dein angenehmstes Kraut.  
 Dich traf die Sonne an / Dich ließ sie auch zurücke:  
 Dein Hertzens - Freude *b)* war des Gartens Flor und Glücke.

Nun blühen um Dein Haupt die Mandeln weisser Haare /  
 Die Tröpflein von dem Schnee *c)* erscheinen überall.  
 Doch was für Hertzens-Trost *d)* wuchs Dir noch vor der Bahre?  
 Du hörtest / Berther / noch den frohen Jubel-Schall /  
 Ja was vergnügender / durch Gottes gnädig Walten /  
 Kontst Du am Jubel-Fest Dein eigen Jubel halten.

Getwis

*a)* Dulcamara f. Solanum lignosum.

*c)* Leucoium bulbosum hexaphyllum.

*b)* Asperula odorata f. Matrifylua.

*d)* Menthastrum f. Mentha sylvestris.

Gewiß ein seltnes Glück! Doch so wird der ergötzet /  
 Der Gottes Gnade e) stets in seinem Garten hat.  
 Wer aber Gott-Vergiß f) auf seine Felder setzet /  
 Dem tragen sie nur Fluch / den fliehet Trost und Rath.  
 Du / Werther / kanst die Frucht von Deinen Wercken essen ;  
 Weil Dein Beruff-Kraut g) nie von Dir ward leicht vergessen.

Wie viele Zeugen sind von Altdorff ausgegangen /  
 Seit dem das Sonnen-Licht Dein erstes Beet beschien ?  
 Gewiß / Ost oder West mag mit denselben prangen /  
 So bleibt bey ihnen doch stets Dein Gedächtniß grün.  
 Dein williges Gemüth / Dein Dienen / Dein Bemühen  
 Macht das Vergiß mein nicht h) in ihren Herzen blühen.

Jedoch was ist es noth / viel Zeugen aufzuführen ?  
 Ein Kleeblatt / so die Welt mit seinem Ruhm erfüllt /  
 Ein Kleeblatt / das gewiß wird Paläcomen zieren /  
 So lang auf dieser Höh' die Hippocrene quillt /  
 Drey Lehrer / denen Du so manches Kraut gezogen /  
 Verbleiben Deinem Fleiß mit steter Gunst gezogen.

Dem alten Hoffmann blüht annoch auf seinem Grabe  
 Der schönste Ehrenpreis i) : der güldne Wiederton. k)  
 Des Vaters gleicher Sohn / den Gott noch ferner labe !  
 Vermehrte solchen Preis: Hygeens Kayser-Cron / l)  
 Der theure Bajer lebt / und weil Dich der mag loben /  
 So ist gewiß Dein Ruhm / wie Tausendschön m) erhoben.

Noch

e) Geranium. f) Marrubium album. g) Sideritis, aut conyza coerulea.  
 h) Echium scorpioides, solifequium. i) Veronica. k) Adiantum.  
 l) Corona Imperialis. m) Amaranthus.

Noch etwas / Werther Greiß / kan deinen Geist vergnügen /  
 Du hast an Deinem Sohn ein wahres Ebenbild.  
 Nun darf die Bitterwurz <sup>n)</sup> in Deinem Feld nicht liegen /  
 Nun wird dasselbe nur mit Engelsfuß <sup>o)</sup> gefüllt.  
 Dein Alter ist gecrönt mit Glück / mit Lob / mit Ehren :  
 Sollt Deinen Wohlgemuth <sup>p)</sup> unnütze Sorg <sup>q)</sup> versehren ?

Ach nein / Geehrter / nein ! vielmehr ist Deine Seele  
 Der Jubel-Freude voll / und preiset Gottes Huld.  
 Du opferst Dich **GOTT** auf / bis einst das Lebens-Dele  
 Gar schwindt / und der Natur bezahlet wird die Schuld.  
 Du überläßt Dich **GOTT** : der ist Heil allen Schaden / <sup>r)</sup>  
 Drum lebest Du vergnügt / drum ist Dir wohl gerathen.

Der Himmel laß Dich gar mit Ruh den Lauff vollenden /  
 Gesundheit heisse stets das Kräutlein Tag und Nacht. <sup>s)</sup>  
 Sollst aber Du Dich einst aus diesem Garten wenden /  
 So werd' zur Winterung der matte Leib gebracht /  
 Wo Du besreyt vom Reiff / besreyt von rauhen Winden ;  
 Die Seele aber muß die Himmels-Schlüssel <sup>t)</sup> finden.

<sup>n)</sup> Gentiana. <sup>o)</sup> Polypodium. <sup>p)</sup> Origanum. <sup>q)</sup> Iacea. <sup>r)</sup> Cruciata.  
<sup>s)</sup> Parietaria. <sup>t)</sup> Primula veris.









